

PROGRAMMA
NATALITIUM,

QUO,
RITE CELEBRARI FESTUM NA-
TIVITATIS CHRISTI, DIE VIGESIMO QVIN-
TO DECEMBRIS, MODO PIE
CELEBRETUR,

OSTENDIT,
INSIMUL VERO AUCTOREM INCONSIDERATUM
CHARTARUM, SUB RUBRO: HORATII

Zuruf an alle Wolffianer, modeste
EX REV. CONCILII DECRETO, ADMONET,

SICQUE

CIVES ACADEMICOS O. O. HONORATIS-
SIMOS ET ÆSTUMATISSIMOS,

AD
PIAM SANCTI HUIUS FESTI CELEBRATIONEM,
PRO OFFICII PRÆSENTIS RATIONE,
DECENTER EXSTIMULAT,

HERMANN. CHRISTOPH.
Engelken,

SS. THEOL. DOCT. EJVSQUE PROF. P. O. FACULT.
THEOL. SEN. ET h. t. DECANUS,

Ad Æd. Jo. Past.

Hodie Academiæ Rostoch. RECTOR.

R O S T O C H I I,

Typ. JO. JAC. ADLERI., SERENISS. & ACADEM. TYPOGR.

Coll. diss. A
164, 43

~~EX~~ ~~AD~~ ~~AD~~



בשעה קבא

Festum hocce festorum, festum illustre Nativitatis Servatoris nostri dulcissimi, *festum amcenissimum generis humani*, (uti illud jure audit merito ab *Arnoldo Mengeringio in Informatio-rio Conscientia Evangelico, Feria Ima Nativitatis, pag. m. 50.*) per totum, quaquaversum *Christianus* vocatur, terrarum orbem tempestate brumali, qua nivium copia conteguntur montium cacumina, & gelu horrido constringuntur artus, *mensis Decembris die vigesimo quinto*, amica velut facta conspiratione, celebrari, atque agitari nemo, nisi omnium rerum hospes, nescit. Nihilo tamen secius ambigere quis, curiosa mentis indagine cuncta perpendens, forsan poterat: *An rite ac salva conscientia ita fiat*, quandoquidem sunt Viri magni nominis, & Chronologorum filii indefessi, qui (ut dissidia de *Anno Christi natali*, apud *B. Job. Alb. Fabricium in Bibliographia antiquaria Cap. VII. §. 9. p. 187. sqq.* hic seponam) in quemlibet potius alium mensem, mensi-que diem, *ferias illas tam letas rejiciendas esse*, ore calamoque adserunt, atque contendunt, qua ratione non videbatur, si eorum arbitrio res staret, *templa nostra, divino dicata cultui, rite per-tonare canoris gestientium vocibus: JESUS nobis natus est HODIE, Ein*
Kms



Kindlein so löblich ist uns geboren heute, item: Lobt Gott ihr Christen alle gleich = = der heut aufschleußt sein Himmelreich, & rel., eo ipso, quod aliud potius, quam præsens hocce tempus nobis exoptatissimum reparatæ salutis Auctorem dederit. Equidem prælaudatus *Mengeringius*, Theologus olim Halæ Saxonum celebratissimus, loc. excit. *Job. Langius de Annis Christi Lib. 2. Cap. I. pag. 357.* & ex Reformatorum Anglorum natione, *Richardus Mountacutius in de vita Jesu Christi, Originum Ecclesiasticarum, Tom. I. p. m. 47.*, nec non *Jo. Seldenus* in Libro: *God made Man*, ut alios silentio prætermittam, canum Ecclesiæ morem in tuto collocare nullos non movent rudentes, adeo ut modo nominatus *Mountacutius*, vehementer succenseat in contrarium nitentibus, scribens: *Perridiculum est, quod inde (ex vigiliis Pastorum) Scaliger, & similes e Novantium factione, qui contra veteres omnes consuetudines & traditiones solent insanire, colligunt, Christum non potuisse per Decembrem mensem nasci, quia neque greges, neque Pastores, per aeris inclementiam, sub illa anni tempestate, in agris sub dio versari possent. Ineptissime! ut semper solent ii, qui refrigerare volunt τὰ ἀγχαῖα. Quasi Jacob non dixerit de se ipso vitam pastoritiam apud Labanem exercente: Diu noctuque æstu urebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis Gen. XXXI. 40. Quasi nos nesciamus, armenta nostra, greges nostros, etiam agnos tenellos, in Anglia sub Jove frigido, pluvia, nivoso, per dies & noctes in Decembri-mense stabulari. Et tamen longe inclementior in aquilonaribus istis regionibus aer est, quam apud illos Australes. Erant ergo (Pastores) in agris, etiam per Decembrem manentes, vigilantes, custodientes greges suos. Idem de Daniae terris, cum Langio l.c. affirmat Calovius Bibl. ill. ad Luc. II. 8. p. m. 539. At enim vero incredibile dictu est, quanta hic deprehendantur sententiarum divortia, ut quot capita tot sensus conspicias, prolixo id sermonis filo commonstrantibus, fulgidissimo olim Pomeraniæ citerioris Theologo, b. D. *Job. Fried. Mayero, in Disp. de precipuis festis, inserta Eclogis Evangelicis Mayero-Neumeisterianis Part. I. p. m. 100. sqq.* & in *Programmate: Quomodo quilibet anni mensis gloriam nati Servatoris ambitiose sibi asserat?**

rat? *Eclogarum l. c. p. 106. seqq.*, nec non incomparabili pridem
 Hamburgensium ornamento, b. D. *Job. Alberto Fabricio, l. c. Cap. X.*
p. m. 342. sq. Sic, ut flores nonnullos ex *Fabriciano* horto decerpam, ge-
 lido misso *Decembri*, ejusque die *vigesimo quinto*, mellitissimum *Serva-*
torem in lucem editum esse caussantur, mense *JANUARIO*, & quidem
die 6to, *Jacobus Apostolus*, si credimus *Jobanni Nicano, in Comb. fisci Au-*
ctario novo Tom. 2. p. 297, *Christiani* in *Ægypto* degentes, apud *Cas-*
sianum Collatione X. Cap. 2., *Hierosolymitani*, teste *Cosma Indoplevste in*
Cosmographia Christiana p. 194. sq.; decimo autem, *Basilidis Sectatores*,
 apud *Clementem Alexandrinum Lib. I. Stromatum p. 340*; *FEBRUA-*
RIO, ejusque medio, vel extremo *Augusti*, *Wagenfeilius in Sota p. 942*
sq; *MARTIO*, *Bochartus in Hierozoico Lib. II. Cap. 44. p. 454.*; *APRILI*,
 ejusque decimo nono vel vigesimo, Nonnulli, apud *Clementem*
Alexandrinum Lib. I. Strom. p. 340; *MAJO*, ejusque vigesimo, qui-
 dam apud *Clementem loc. cit.*; *JUNIO*, & quidem *XI. Kal. Julias*, Non-
 nulli, apud *Epiphanium Heresi LI*; *AUGUSTO*, ejusque fine, *Wagen-*
feilius loc. excit.; *SEPTEMBRI*, *Jo. Harduinus in Anthirretico*, ejus-
 que decimo quinto, *Jo. Lightfootus, ad Luc. II. 7. Opp. Tom. I. pag. m.*
290. & sub finem illius, Erasmus Schmidius in Notis ad Job III. 30.
p. 665.; *OCTOBRI* sub initium, *Matthæus Beroaldus, Josephus Scali-*
ger, Isaacus Casaubonus, Sethus Calvisius, Matthias (non *Matthæus*,
 uti per errorem typographicum legitur apud *Fabricium l. c. p. 343.*)
Wasmuthus; *NOVEMBRI*, decimo octavo, *Clemens Alexandrinus Lib. I.*
Stromat. p. 340., *Sal. van Till de Anno Mense & die Natalis Christi,*
p. 31. Collibet hic adjicere opinionem *Scriptoris Angli, Nicol.*
Mann in the two Dissertations, of the true years of the Birth and of
the Death of Christ, Londini 1733, huc abeuntem, *Servatorem* no-
 strum verno tempore, & quidem *sex annis prius*, quam vulgo credi-
 tur, dias in lucis auras prodiisse, cujus libri argumentum data o-
 pera, perorare student *Autores der deutschen Actorum Eruditorum*
Part. 194. p. 77. sqq. ubi *p. 87.* sequentia leguntur: *Der Vers-*
fasser macht den Schluß, es sey höchst wahrscheinlich, daß der
 Hey

Heyland im Frühling des 747. Jahres, nach Erbauung der Stadt Rom, per. Jul. 4707. An. Jul. 39., und also 6 Jahr eher, als man insgemein vorgibt, zur Welt geböhren worden. Prostat quoque Petri Allixii Diatriba de Anno & mense natali J. C., in qua is pro Aprili militat, & p. 7. communem sententiam natam putat ex absurdissima, quam vocat, suppositione, quod Zacharias, Johannis Pater, fuerit in sanctuario, cum Johannem Baptistam ex Elisabetha sibi nasciturum ex Angelo audiret, dicente B. Wolfio in Curis in Luc. II. 2. p. m. 578. qui itidem comparari meretur. Junge b. Job. Andr. Schmidii diff. de Fasciis Christi S. 3. Hæc tam diversa cogitata, suis singula fundamentis communita, eo adegerunt Anton. Bynaum, ut, omnibus rite expensis, sequens ferre judicium non vereatur, de Natali Christi Libro I. Cap. 4. p. 414. : Omnem operam, quæ in eo ponitur, ut præcise investigetur dies vel mensis natalis Domini frustra consumi, cum tandem fateri necesse sit, nullius hominis esse, vel utrumq; vel alterutrum saltem definire. Quin altum hac de re Scriptura silentium nos revocare debere ab illa vana & frivola curiositate, quæ in re Bynaus præeuntem habet Scaligerum de Emendatione temporum Lib. VI. p. 545. Conf. Mayserum l. c. p. 101. Neque in eam se aliquis induci patiatur opinationem, ac si ab ipsis Ecclesiæ Christianæ cunabulis feria Nativitatis Christi, mensis Decembris die vigesimo quinto, nunquam non viguerint. Nam in antiquitatis scriniis, diligentissime quamlibet excussis, nihil ea de re asservatum invenitur. Næ inclutus maxime Sæculi Vti Doctor, Chrysostomus, in Homilia quadam, Opp. Tom. V. col. 417. confiteri cogitur, ferias istas, hyberna tempestate peragendas, ex occidentalibus terris haud pridem, per quosdam, Orientis regionibus innotuisse, inquiens: καίτοιγε ἔπω δεκάτὸν ἔσιν ἔτος, ἐξ ἧς δὴλη καὶ γνώριμος ἡμῖν αὐτὴ ἡ ἡμέρα γεγέννηται, i. e. Nondum decimus est annus, ex quo nota ac manifesta (sc. ex Occidente) nobis hæc ipsa dies reddita est. Quin imo ritum, celebrandi Natalem Domini, die vigesimo quinto Decembris, vix ante quartam, post exhibitum mundi Redemptorem, centuriam, in publico Christianorum eccetu ullibi invaluisse,

te, laudatissima sedulitate commonstrare amat vastæ eruditionis
 Theologus, *Thomas Ittigius*, *ἄνθ' ἐν ἀγίοις*, in peculiari Dissertatio-
 ne, subjuncta Libro de *Heresiarchis ævi Apostolici*, Num. 3. pag. m.
 386. sqq. ubi §. IX. p. 395. sic Viri fluunt verba: *Quarto Seculo*
ecclesias nonnullas festum Nativitatis d. 25. Decembris celebrasse, etsi
apud alias, dies sextus mensis Januarii huic solennitati sacra esset, du-
bium non est, & §. 4. p. 400. notabilem hunc colophonem toti im-
ponit operæ: Ex his, quæ dicta sunt, liquet, certis monumentis proba-
ri non posse, quod ritus Domini Natalem d. 25 Decembris celebrandi,
ante quartum Seculum in usu fuerit. Hac ratione mos, natalem Do-
 mini die 25 Decembris celebrandi, ex Romanæ Ecclesiæ traditione
 haustus, ad nos pervenit: Comp. *Calovii Biblia illustrata in Luc. II.*
8. p. m. 535. Quamvis itaque iam controversiam vocari maxime
 queat, an id hodie tempus cultui dicetur natalitio, quo Servator
 noster, in Sæcula benedictus, vitæ usura frui cœpit, quia verum na-
 ti Christi mensem diemque, juxta cum ignarissimis, forte nescimus;
 laudi tamen insigni, non vituperio, dandum est canis Majoribus,
 quod, hoc non obstante, certam anni periodum solenni nativitatis
 Christi recordationi sacram esse procurarunt, quandoquidem sic
 hæc tam memorabilis res animis humanis infixamansit, quam alias
 facili negotio turpis obscuratura fuisset oblivio. Sane cum lapis in
 aquas conjicitur, e vestigio innumeri circuli, motu istiusmodi exci-
 tati, surgunt, sed illi tandem penitus subsidunt atque evanescent,
 ut ne prioris quidem agitationis relictum amplius vestigium; Ita
 quidem sensus adventus Domini in mundum mentes primorum
 Christianorum tangebatur, insigneque commovebat, metuendum ta-
 men erat, ne æstus tam laudabilis, labente tempore, remitteret, refri-
 gesceretque penitus, quare paratissima huic malo medela parata est,
 annuas, quibus memoria Nativitatis Christi amœna recoleretur, ador-
 nando ferias, etiamsi maxime alio tempore, quam quod agitur festum,
 Servator noster primam, qua humanitatem, conspexisset lucem. Nec
 est, quod causetur fortasse aliquis, *non posse rite diem vigesimum quin-*
zum Decembris, tanquam Natalem Domini, celebrari, si celebratio ista, in ali-
am,

am, quam qua Christus orbi donatus est, incidat tempestatem. Nam nil refert, quo anni, mensis, vel diei articulo beneficium tam incomparabile instauretur renoveturque, modo, exulare iussu omni profanationis crimine, pia id fiat pectoris commotione. Næ Israëliitarum Genti in more positum fuisse accepimus, ut, si qui impuritate quadam levitica, e. g. ex contactu mortui, fluxu sanguinis, &c. laborarent, aut peregre essent profecti, nec tam cito advolare possent, non ordinario mensis Nisan s. Abib (qui fere nostro Martio respondet) decimo quarto die, quo mirabilis ex Ægypti ergastulis eductio contigerat (Exod. XII. 6.), sed secundi mensis Ziv (qui vere est noster Aprilis) decima quarta luce, mactationem & esum agni Paschalis instituerent, sicque illustri benignitatis divinæ specimine lætarentur & gestirent Num. IX. 10. sqq. Comp. Bocharti Hierozoicon Part. I. Lib. II. Cap. I. col. m. 571. Si itaque festivitas Paschalis alio, quam statò alias tempore, rite fuit peracta, quidni etiam ferias natales salva liceret agitare conscientia, etiamsi fortassis circa illam tempestatem Christus olim non venerit in mundum. Nec argumento satis firmo instructus esset, cui pergere colliberet, non posse, stante istiusmodi hypothesis, cætum christianum, in conventibus publicis, propitia veritate, ingeminare cantica sua, ad festum Nativitatis adcommodata, e. gr. „Ein Kindlein so löblich ist uns geboren Heute, aliaque similia, id quod inprimis urgere studet B. Mengerius l. c. p. 51. Quid enim opus est, movere fluctus in simpulo. Negamus sane atque pernegamus, exesse ex Ecclesiæ Christianæ pomceriis sic debere lætos istiusmodi cantus, quandoquidem verbis: *Puer nobis natus est HODIE*, non indigitamus id, quod actu in præsens evenit, sed quod in præsens nobis revocamus in memoriam, quamlibet ante multorum retro sæculorum decursum id ipsum sit factum. Næ! si canendo: *Puer natus est nobis HODIE*, indicaremus, Servatorem nostrum dulcissimum hoc momento in lucem Bethlehemi prodiisse, in stabulo jacere, fasciis involutum, vagire, & sic porro, insigne nobis imponeremus, pudendamque & plus quam infantilem exerere.

MBS

mus inscitiam. Quare eo duntaxat redit ovantium mens, hodierno die jucundam institui nati olim Servatoris reminiscenciam, adeo ut obtutum animi figamus in JESUM nostrum, tanquam infantem recens a Maria virgine in lucem editum, nobisque per omnia, excepto peccati contagio, similem, deque ejus dulcedine & amplissimis inde in nos redundantibus bonis in sinu gaudeamus. Hoc præstrueto, judicium quæso ferat, qui judicandi pollet potestate: Annon recte omni ex parte jubila natalitia in templis nostris audiantur, resonentque canentium voces: *Puer natus est nobis HODIE*. Idem dubio procul insinuare voluit communis ille Germaniæ Præceptor, *Philippus Melancton*, Doctori cuidam Wittebergensi, per famulum ex eo suscitanti: Cur canamus: *Infans natus est nobis HODIE, cum tamen Christus jam diu sit natus*, sequens reddi curans responsum: *Annon is etiam bodie egeret solatio*, uti relatum legitur apud *Duntium in Casibus Conscientiæ Loc. de Oratione Qu. 16. p. m. 904. sq.* Conf. *Olearii Liesder Schatz Part. I. p. m. 66.* Cum ergo incertitudo verorum Natalium Christi non obstet, quominus festum Natalitium *die vigesimo quinto Decembris*, more jam diu recepto, celebremus, modo pia id fiat feriantium mente; remoto omni scrupulo & speculatione inani, in id tantum cunctis intentis nervis incumbamus oportet, ut compositis moribus, vigilique animæ oculo, ferias agitemus natalitias. Bene namque *Maximus Tauriensis in Homilia*, quæ in *Ambrosianis* est *decima quarta.*, Si ait, *seculi istius homines propter presentis honoris gloriam, terreni Regis sui natalem diem tanta apparatione suscipiunt, quæ nos accuratione aterni Regis nostri JESU Christi suscipere debemus?* Et *Thomas Smithus Epist. 2. de moribus Turcarum p. 49.* Turcarum exemplo, natalem Muhammedis sui celebrantium, Christianos in ruborem dari observat, si Natalem Christi summa religione non prosequantur. Vid: *Eclogas Mayero-Neumeisterianas Part. I. p. 100.* Ut vero palmarium Nativitatis festum pio decentique peragatur modo, ante omnia *firma teneamus fide, Filium DEI quoad humanam suam, quæ dicitur, naturam, ex beatissima Virgine, Maria, nostri causa prognatum*

LIII

zum esse. Quam enim æternam humanitatem ab æterno a Christo assumptam, & cœlestis *Sophiæ* nomine alias insignitam, crepat temerariorum Fanaticorum cohors, cum primicerio suo, *Job. Wilhelmo Petersenio* im *Geheimnis des Erstgebohrnen aller Creaturen*, eam sacræ paginæ penitus ignorant, & non nisi de humanitate Christi, in temporis plenitudine nata, præcipiunt *Gal. IV. 4. 5.* & alibi. Auscultemus præsertim Nuncium cœlestem (quem *Gabrielem* Archangelum fuisse, non absque verisimilitudinis specie, existimant plurimi antiquorum Patrum, cum *Augustino, Sermone XX. ad Fratres in Eremito, Opp: Tom. X. fol. m. 287. b.*) sic perorantem *Luc. II. 10. 11: Ecce lætus annuncio vobis gaudium magnum, quod fiet omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in urbe Davidis.* O mellea verba! quibus condocemur, *natum Servatorem ad solum pertinere humanum genus*, non lapsorum Angelorum cohortem, quia *Præco cœlestis, gaudium hoc de nato Servatore futurum populo, sive hominum, non Angelorum multitudini*, ait, qua ratione *novorum Evangelistarum* somnia de restitutione Angelorum malorum, renues abeunt in auras. Condocemur porro, *natum Servatorem ad totum spectare humanum genus, atque in omnium ac singulorum mortalium commodum apparuisse, quoniam idem Præco laudatissimus gaudium hoc de nato Servatore futurum (ex benevola scilicet Dei voluntate & destinatione), omni populo, affirmat, ita ut summum Numen serio velit, cupiatque, omnes omnino homines de tanto lætari Servatore.* Locum ergo censemus valde notabilem pro ea sententia, quæ statuit, *Christi meritum etiam ad reprobos, adeoque ad omnes in univ. homines, quotquot unquam peccati labe infecti, fuerunt, sunt aut erunt, attinere ex divino consilio*, apposite scribente *b. Job. Reinh. Rusio in Harmonia Evangelistarum Tom. 1. p. m. 182.* qua ratione *Reformatorum* commenta de particulari Christi merito dispereunt. Condocemur ulterius, *natum esse Servatorem, quoad humanitatem, in tempore, quia Angelus hodie eum in lucem editum, significat, qua ratione Fanaticorum ineptiæ de æterna Christi humanitate, paulo ant:*

B

jam

commemoratae, concidunt. Condoceatur denique, *natum Serva-*
torem, promissum esse Messiam, mundique Redemptorem, quia Nun-
 tius caelestis debito in loco, scil. urbe Davidis, Christum genitum
 esse, ait, respiciens ad vaticinium Prophetæ præclarum, *Micb. V. 1.*
 qua ratione *Judeorum* insaniam de expectando adhuc Messia, plane
 evanescunt. Neque tamen sufficit ad piam festi Nativitatis concele-
 brationem, credere ac profiteri veram Christi Nativitatem, juxta sa-
 crarum Pandeetarum, ac Symboli Apostolici Articulum 2dum; sed
 requiritur insimul, *ut hunc nostri causa natum Servatorem fide saluta-*
ri nobis applicemus, faciamusque nostrum. Quando enim verbum di-
 vinum nobis acclamat: *Ecce Rex tuus venit tibi, Zach. IX. 9.,* quili-
 bet eum ad se recipiat necesse est, fideli reponens mente: *Rex*
meus es, veni ad me, o Rex mi! Quid juvat, cimelium quoddam in
 alterius utilitatem repositum jacere in mensa, nisi is, cui id desti-
 natum est, illud ad se pertrahat, inque usum suum vertat. Ita ni-
 hil profecto nobis conducit, Servatorem nostrum, cimelium o-
 mnium pretiosissimum, se nobis offerre tanquam nostrum, nisi ipsi
 eundem, cum omnibus suis beneficiis, circumplecti elaboremus, qua-
 re linguam *Thomæ* blandam imitari decet: *Domine mi & Deus mi!*
Job. XX. 28. Sic spirituali modo (non per essentialem generationem)
 in cordibus nostris *formabitur Christus, Gal. IV. 19,* nos per fidem
 gratiosa præsentia donabit, *Eph. III. 17. Col. I. 27.* pectoraque no-
 stra suis bonis & donis affatim perfundet. Neque adhuc sufficit ad
 piam hujus festi celebrationem, natum Servatorem fide salutari sibi
 adplicare, sed requiritur ulterius, *ut tam mellitissimo Benefactori sa-*
crificia laudum, ac gratiarum actionis faciamus, imo nos totos eidem in
perpetuum tradamus obsequium. Quis non præsentis inprimis festivi-
 tate, intentissimis benignissimum Servatorem, mel & delicias homi-
 num, efferret laudibus? qui humilem pauperemque non detrectavit
 eligere nativitatem, omnis externi splendoris expertem, ut nos ma-
 gnificeret, divitiisque spiritualibus impertiretur *2 Cor. IX. 9.* Quis
 non præsentis inprimis festivitatis immortales benevolentissimo Ser-
 vato-

vato-

vatori persolveret grates? qui propterea *particeps*, puerorum instar, factus est carnis & sanguinis, ut per mortem aboleret eum, qui virtutem habebat mortis, hoc est, Diabolum, Ebr. II. 14. Quis non præsentis in primis festiuitate totum se tam incomparabili manciparet Servatori? qui misera sua seruitute in libertatem nos asserere habuit in deliciis, Job. IIX. 36. Egregie Hipponensium Præsul, Augustinus, Serm. 3. in Natali Domini, Opp. Tom. X. f. 126 a.: Videtur mihi, inquit, charissimi! ut nascenti Domino & Redemptori nostro vota promittamus hodie & reddamus, sicut scriptum est: Vovete & reddite Domino DEO vestro. Nos dulciter & confidenter voveamus, ille dabit possibilitatem, ut reddere possimus. Nos tamen, quicquid illi promittimus, de illo speremus. Et fortasse interrogatis me, quid debeatis hodie vovere & reddere, Sunt enim multi, qui vovent, alius pallam, alius oleum, alius ceram ad luminaria noctis, alius, ut vinum non bibat per aliquot annos, alius, ut jejunia certo tempore faciat, alius, ut carnes non comedat. Non est istud votum optimum nec perfectum. Adhuc melius volo. Non eligit DEUS nec speciem tuam, nec oleum tuum, nec jejunium tuum, sed hoc, quod te hodie redemit, ipsum offer, hoc est animam tuam. Et si interrogas me, quomodo animam meam, quam ipse habet in potestate, offeram? Et ego respondebo tibi, quomodo moribus sanctis, cogitationibus castis, operibus fructuosis, avertendo a malo & convertendo ad bonum, damnando vitium, amando DEUM, diligendo proximum, impendendo misericordiam miseris, quia & nos ipsi miseri fuimus, antequam redimeremur, & rel. Neque adhuc sufficit ad piam hujus festi celebrationem, Benefactori nostro sacrificia laudum & gratiarum actionis offerre, sed requiritur pariter, ut tantum Dominum nobis impense congratulemur, deque illo gaudeamus, vehementerque letemur. Puer enim natus est nobis, filius datus est nobis, super cujus humero principatus est, Es. IX. 5. Gaudere nos jubet Nuncius cœlestis, gaudium se magnum annunciare affirmans. Gaudere nos facit multitudo exercitus cœlestis, laudantium DEUM & dicentium: Gloria in altissimis DEO &c. Luc. II. 13. 14. Gaudere nos cogit exoptatæ feli-

citatis copia, quæ rivuli instar ex Nativitate Christi, omnis labis ex-
 perte, velut vivo ex fonte, profluxit. Inde enim ortum trahit for-
 tunata nostrorum impurorum natalium sanctificatio, ne nobis officiant,
 nam nobis, nostro commodo, puerum natum esse, Evangelista V. T.
 Esaias effatur, *Es. IX. 6.* Inde ortum trahit fausta a jugo legis ceremo-
 nialis fat onerosæ, liberatio, æque ac a maledictione mandati moralis
 immunitas *Gal. IV. 4. 5* Inde ortum trahit incomparabilis filiorum
 DEI dignitas, ut in caros DEI filios adoptemur, *ib. v. 5.* Inde or-
 tum trahit æterna nostra salus, quia nato infanti imponebatur nomen
 JESU, eo quod *salvaturus erat populum suum a peccatis eorum, Matth. I.*
21. Luc. II. 21. conf. *I. Tim. I. 15.* Hæc omnia ad universitatem
 generis humani pertinent, quoad *acquisitionem*, sed ad solam fidelium
 concionem, quoad *applicationem*, sive actuale collationem, ita ut
 tam inæstimabilia bona, virtute salutaris Christi nativitatis, omnibus
 ac singulis sint benignissime acquisita, fidelium vero societati, quæ
 se ad natum pro nobis Servatorem adplicat, deque eo gloriatur, actu
 ipso conferantur. Cur ergo hoc ipso Nativitatis festo non ovare-
 mus, ageremusque triumphum? Cum Princeps regius nascitur,
 futurus regni successor, perstrepunt ubique sonora subditorum ju-
 bila, nil nisi amœnam totius regionis incolumitatem præcipientium,
 atque ardentissimis exorantium votis. Et ecce Princeps Principum,
 Princeps pacis, (*Es. IX. 6.*) non in unius aut aliquot tantum regio-
 num, sed totius, quaquaversum patet, hominesque alit, orbis, emo-
 lumentum, vitali frui cœpit aura: Annon itaque intimam inde ca-
 peremus voluptatem, lætitiæque præcordiorum velut diffliueremus?
Pulchre, ait b. Fabricius in Bibliographia antiquaria Cap. X. pag. 344.
observarunt Viri docti, a Romanis die octavo Cal. Januarii, sive XXV De-
sembriis, celebratum diem natalem Solis invicti, initium nempe periodi
annuæ & brumam: eamque solennitatem a Christianis opportune trans-
latam ad natalem Solis justitiæ. vid. Petavium ad Julianum, fol. 87.
 Ecce Sol justitiæ exortus est, blandosque ex se radios spargit,
Mal. IV. 2. An ergo oculos clauderemus, & cæcutiremus in meri-
 die?

die? Denique ad piam festi hujus celebrationem requiritur, ut *publicos conventus decenter agamus*, in cœtu Ecclesiastico pie compareamus, beneficia divina rite meditemur, sermones sacros pro rostris habitos, attente aufcultemus, & juxta eorum ductum, vitam debite, componamus. Hac enim fini festi adornati sunt dies, ut memoria admirandorum DEI benefactorum conservetur, animique ad debitam in summum Numen gratitudinem, observantiam, obedientiam, quasi quibusdam calcibus exstimulentur, quare veri Christiani vox sic ex ore Platis hisce feriis natalitiis erumpit: *In numero transibo, movebo me cum illis ad domum DEI, cum voce cantus & confessionis, cum multitudine feriente, Ps. XLII. 5.* Egregie b. Lutherus in *Catechismo maj. p. 424.* scribit: *Hujus præcepti (tertii) hic simplex sensus est, quando alias dies festos agimus, ut hasce ferias verbo DEI discendo destinemus, ita ut earundem dierum proprium munus sit, officium concionandi, & hoc juventutis & multitudinis instruenda gratia.* Non possum autem, quin hac occasione, quantum fieri potest, *brevis sermonis filo*, ex S. Reverendi Concilii voluntate & decreto, oculos flectam in temerarium, quod pronuper imprudens aliquis Vir, (quem stemmate alias illustri satum esse fama fert) nomine non indicato, suscipere ausus est, negotium. Foras enim inconsideratam quandam lucubrationem lingua vernacula dedit, sub rubro: *Horatii, als eines Wohlerfahrnen Schiffers, treumeynender Zuruff an alle Wolfianer, in einer Rede, über die Worte der XIV. Ode des 1sten Buchs betrachtet, wobey zugleich die neuere Wolfische Philosophie gründlich wiederlegget wird, 2 pl. in 4to.* Qualem Auctor hiece inconsultus præfixum habuerit scopum, ut plagulas indicatas emitteret in lucem, omisium optime novit Numen, quod corda scrutatur & renes, *Jer. XVII. 10*; inficias tamen ire potest nemo æquus rerum arbiter, præstitisse, ut illæ æternis sepultæ mansissent tenebris. Quare etiam, *similac Hamburgi*, in Bibliopoliis dividendi cœperant, eas e vestigio Ampliff. Civitatis hujus imperialis Magistratus, laudatissimo instituto, proprioque motu, nondum scilicet a S. Rev. Ministerio imploratus, fisco adjudicari procuravit, prouti

pariter illæ ipsæ hic locorum venire prohibitæ sunt. Quodsi enim forte vergere debent in felicitis ingenii ostentationem, næ alia potius materia seligenda fuisset, quam hæc stomachum cordatoribus jure movens. Quodsi jocos ac facetias in animo habuit Scriptor, ut ad risum concitaret incautos & hilaritatem, næ debitam migrasset circumspeditionem, ludens in re seria, & insigne oblitus moniti Paulini, *scurrilitatem non convenire sanctis*, *Eph. V. 4.* Quodsi vero Horatiana sua concione sermones sacros, ad populum haberi solitos, denigrare, & per eorum latus, ipsum sanctissimum DEI verbum, ex suggestu propositum, fodere, consequenterque nefandum, qui vocatur, *Naturalismum*, multis hodie proh! cum *Woolstono*, *Tyndalo*, *Schmidio*, Bibliorum Wertheimensium fabro, horumque similibus, valde deamatum, plenis velut velis invehere voluit, profecto facinus commisisset, Christiano homine plane indignum. Quodsi denique methodum saltem facilem, ingenuis usitatam mystis, sacra fidei & morum dogmata ex sanctarum litterarum pandectis perspicue instillandi, proscribere, & onerosum philosophicarum demonstrationum & subtilatum apparatus in ejus locum substituendum esse, tacite indigitat, sane attendere negligit, ædificationem simplicis plebis, tantarum circumitionum percipiendarum incapacis, sic plane intercipi, ut ta- ceam, vel hac ratione in comprobandis, tradendisque rebus sacris, ad philosophicæ auctoritatis dictamen cuncta reditura esse. Per imprudentem autem Philosophiæ Wolfianæ applicationem, (nam ipsi huic Philosophiæ, modo sobrie instituatur, neque tanquam ignis profanus in sacrarium Theologiæ improvide inferatur, suum pretium detrahare nolumus) conciones sæpe philosophicas institui, sequentem in modum eloquitur *D. Joachimus Langius im philosophischen Religions-Spötter Sect. II. S. IV. p. 28. sqq.* Nachdem von etlichen Jahren her auf einigen Universitäten einige Magistri legentes, um des eitlen applausus, und um des Brods willen, durch allerhand Wege die Auditores von den ordentlichen Professoribus ab- und an Sich gezogen, und Sie auff die Ihnen so hoch angepriesene neue philosophie

phie

phie geführet, auch wieder jene dabey Schutz gefunden haben,
 und die studiosi von dannen in die Kirche Gottes ausgegangen sind;
 So höret man von vielen Klagen über die philosophischen Predig-
 ten, die kein Mensch verstehe, fast jedermann aber mit Eckel anhöre,
 und insonderheit über das affectirte Definiren, und Begriffe machen,
 also, daß man in einer einzigen Predigt woll über 50. definitiones
 höre, 3. E. Matth. IIX. 1. u. f.: Da aber Iesus vom Berg
 herab ging, folgte Ihm viel Volcks nach. Da heist es:
 Ein Berg, ist ein solcher erhabner Ort, u. s. w. Gehen, ist so viel
 als, u. s. w. Herabgehen, heisset 2c. Ein Volk, ist eine gewisse Men-
 ge von Leuten. Also auch v. 23 Der Herr Iesus streckte sei-
 ne Hand auß, rührte Ihn an, und sprach: Darauff es den heis-
 se. Eine Hand, ist ein solches Glied, das da, u. s. f.; Ausstrecken, an-
 rühren, sprechen, ist so viel, als, u. s. w. Solche philosophische Can-
 zel-Gecke (die an staat dessen, daß Sie Christum predigen solten,
 bey ihrem definiren fast von lauter Möglichkeit, Würcklichkeit,
 Absichten, Begriffen, zureichenden Grunde u. s. w. schwätzen, und
 dabey so aufgeblasen sind, daß kluge Leute nur einfältige Tröpffe
 in ihren Augen seyn müssen) hat die neue philosophie geböhret.
Redimus ad improvidum Horatium. Nihil sane veritati conveni-
 entius dici potest, quam spuriam ipsius concionem ad imitationem
 Concionum usitatarum adornatam esse & concinnatam, oculari con-
 docente inspectione, id vero eum tendere in finem, ut modus ver-
 bum divinum tractandi, a Ministris verbi communiter adhibitus,
 adducatur in invidiam & contemptum, imo publico exponatur ludi-
 brio & irrisioni, quis ambiget vocabitque in dubium? Bone DEus!
 quo, amabo, ruunt cæca hodie pectora! Dolendum merito est acer-
 bisque deplorandum lacrymis, in tanta Demonstrationum infinitarum
 affluentia, plena omnia esse Atheorum, Naturalistarum, Indifferenti-
 starum, Fanaticorum. Quoniam nempe, quæ magno impetu pro
 demonstrationibus â turgidis nonnullis novæ Philosophiæ Sectatori-
 bus venditantur, infirmo sæpe nituntur talo, contrariisque fœ-

CUB.

eundorum ingeniorum demonstrationibus prosterantur, dejiciuntur, expugnantur, hinc facile potest Scepticismus primum, atque de veritate salutaris religionis fluctuatio, mox quoque Atheismus plane, ac omnis religionis abnegatio, exoriri. Et quia in thronum interdum philosophica placita præter meritum collocari assolent, nimiumque illorum auctoritati tribui, hinc non possunt non inde, tanquam ex equo Trojano, Naturalismi, aliaque mala prodire, quæ Ecclesiam DEI veram magnis afficiunt vulneribus, misereque divexant. Fallor, aut *Horatius* noster quodam profanæ mentis instinctu, nimioque in Wolfianam Philosophiam amore, adeo in solitum veritates divinas proponendi modum, debachatur. In rubro quidem prætexit, se concionis suæ spectro Philosophiæ Wolfianæ præcepta solide enervatum ire, sed quis non videt, fucum fieri, ac lectori splendide imponi, quia tota infaustæ lucubrationis compages in egregiam Philosophiæ istius commendationem tendit, quam alias suo relinquere mus loco, modo non contemptu rerum innocuarum scopo suo potiri studeret. Hoc certe est, quod non possumus non ipsi vitio vertere, eundemque de tali inconsiderantiæ documento modeste monere. Eo enim se abripi passus est temeritatis, ut quæ in modo verbum divinum tractandi culpari jure nequeant, maculis aspergat, ridendaque propinet. Quid enim, quæso, vitii alit, Concionem sacram pio quodam voto inchoare? Quid alit vitii, introitu apto atque Exordio, quæ appellantur, viam sibi ad ipsam Textus sacri tractationem præmunire? Quid alit vitii, ipsum argumentum pertractandum indicare, atque melioris ordinis causa, in certa dispertiri membra? Quid alit vitii, explicata ipsa particula Scripturarum s. quæ considerationi peculiari substrata fuit, eandem postmodum ad usum auditorii accommodare? cum Scriptura utilis sit ad *doctrinam* &c. *2. Tim. III. 16.* Hæc vero omnia Horatiano nostro Concionatori ad palatum non esse, ludicra rerum tam innocuarum imitatio abunde loquitur condonetque. Fines quoque pietatis transiliit Auctor inconsultus, preces ad DEUM pro felici istius sancti instituti successu fundi s. vetas, in ludibria

dibria per jocularē aliquod imitamentum vertendo p. 4. Eben zu dem Ende sind wir an diesem Orte, wo die ware Einsicht ihre Wohnung hat, versamlet, und zusammen gekommen, ich erinnere mich aber bald dabey NB meiner Schwachheit in der Kunst von so hohen Dingen zu reden, ersuche daher dieselben allerseits mit meinen Fehlern eine geneigte Gedult zu tragen ꝛc. Perpendere sane debuisset, istiusmodi preces à Gentium Doctore velut ori Ministrorum verbi indiscribente 2. Cor. III. 5. 6.: *Non sumus idonei a nobis ipsis cogitare quid, tanquam ex nobis ipsis, sed quod idonei sumus, ex DEO est. Qui etiam idoneos fecit nos (esse) Ministros Novi Testamenti.* Nec minus absque causa invehitur in innocuam istam consuetudinem, prægnantes verbi divini locutiones, quæ emphasium nomine insigniuntur, erudiendi atque indicandi, dum p. 3. sq. similem adhibet expressionem: In der Grundsprache steht hier das Wort: Scelesti, welches so viel als verwegene, ruchlose, tollkühne, tückische, böshaffte, vermessene Wagehälse andeutet = = = . Unser seel. Weidner aber (quibus verbis pungit verbi divini præcones, beati Lutheri, ejusque versionis mentionem facientes) hat es durch das Wörtlein: Böse, nicht nachdrücklich gegeben, und hätte wohl besser sagen können: **Wohin ihr tollkühnen, frechen Leute.** Tædet me, plura afferre temeritatis specimina, quia jam allata satis de profana restantur mente. Potius doleo vices Autoris improvidi. Quantam enim non contraxit peccati labem? innocuam verbum divinum tractandi methodum risui exponendo, Ministris verbi ad prædicandum verbum missis, (qui propterea audiunt *Oeconomii mysteriorum divinatorum* I. Cor. IV. 2., per quos DEUS nos admonet 2. Cor. V. 20.) maculam inurendo, imo verbum salutis ipsum in contemtionem adducendo! Nonne de omni verbo otioso, quod locuti fuerunt homines, reddenda erit ratio, juxta notabile Servatoris effatum? Quod autem magis otiosum proferre potuisset verbum, scripto licet propositum, quam hoc ipsum, quod in ita dicta *Acclamatione Horatii*, (*Zuruff an alle Wolfianer*) comprehensum legitur. Quare omnino, nisi cum DEO

in gratiam redierit, severum olim experietur iudicem. *O noli errare, DEUS non irridetur Gal. VI, 7.* Nonne talentum, quod supremus impertit Benefactor, in gloriam ipsius impendere tenemur, dicente Apostolo *I. Cor. X. 31: Sive comeditis sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* At non in gloriam DEI, sed potius despectionem, dotes perinsignes, quas larga Auctori manu Altissimus admensus est, collocavit. Quanam ergo excusationis specie id colerabit concinnator Horatianæ acclamationis inconsideratus? Et quid dicam de extanti, quod Auctor iste dedit, scandalo? Dum enim sermones Ministrorum Ecclesiæ sacros ludibrio omnium exponere studuit, sicque simplices animas ab auditu verbi divini, ex suggestu propositi abstrahere, offendiculum præbuit maximum. Quanto autem sic se coinquinavit iniquitatis cæno? quantum in se animæ periculum concitavit? quam male salutis suæ consuluit? Quem enim fugit dulcissimum Redemptoris effatum *Matth. XIX. 6. 7. Qui scandalicaverit unum parvorum horum, credentium in me, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collum ejus, & demergatur in profundum maris. Va mundo à scandalis. Necesse est enim venire scandala. Veruntamen Va homini illi, per quem scandalum venit.* Huc etiam pertinet illud Pauli *I. Cor. X. 32: Sine offendiculo estote tam Judæis quam Græcis, imprimis Ecclesia DEI.* Utinam hæc ad animum vocaret Auctor illotæ concionis, & in posterum cautius mercari disceret!

Vos vero, *Cives O. O. honoratissimi!* cane pejus atque angue irreligiosum istiusmodi factum detestamini, atque, dum scriptum istud eo directum est, ut in religionis negotio evadamus remissiores, date id honori divino, atque magis magisque in vero cultus divini exercitio proficite. Variis variorum verbi Præconum concionibus sacris personant hisce feriis natalibus, personabuntque ædes sanctæ. Vos ergo illis non tantum aures præbeatis vacuas, sed & mentem adhibeatis attentam, nec mentem tantum adhibeatis attentam, sed etiam obsequium præstetis debitum. Fuerunt ante aliquod retro temporis spatium, homines nonnulli improbi, personis induiti, atque *alios*
inno.

innocentes strictis invadentes ensibus, quorum moliminibus pravis vigili Magistratus cura, medela parata fuit. An ad *Studioforum* illi ordinem pertinuerint, qui tanta audaciæ ediderunt specimina, nec dicimus, nec dicere possumus, quia nemo ἐν αὐτοφώρῳ deprehensus est. Interim nolite tam pessimis delectari facinoribus, sed pacis ac concordiae studium curæ habete cordique. At nondum Vos dimittere possum, Domini Studiosi! Vestrum nonnulli in Templis sacris summæ operari dicuntur iniquitati, ubique discurrentes, formas spectantes, verba obscœna eructantes, nihil nisi scandalum aliis præbentes, nomenque sic studioforum deturpantes. O Vos malignos! An nescitis, Dominum supremum tam fœdis lædi sceleribus, conscientiamque vestram reddi fauciam. Meliores quæso induite mores, genuinum DEI timorem sectamini, atque sicuti alia, ita præsertim festiva hac tempestate, haud infucatae vitæ pietati vos dedite, sicque festum Nativitatis pie celebrate. Quodsi vero monitioni tam paternæ morem gerere turpiter recusatis, scitote, Vos & in gravissimam cœlestis Numinis animadversionem incursuros, & Magistratus Academici pœnas non effugituros esse. *DEus nos omnes Sancto suo regat Spiritu*, ut festum Nativitatis nobis existat salutare, nosque tandem ad vitam æternam feliciter renascamur!

P. P. Fer. I. Nativitatis Anni
Reparatæ Salutis
MDCCLXXXIX.

(29)

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

P. P. ...
R. ...
MDCCLXXIX

Coll. Diss. A 164, laisc 43